

quibus hae consistent, lupanaria dicta. Cum vero 3  
 pueri liberalis disciplinae capaces facti essent, Gabiis  
 Graecarum Latinarumque litterarum ediscendarum gra-  
 tia commoratos, Numitore avo clam omnia submini-  
 5 strante. Itaque ut primum adolevissent, Romulum in- 4  
 dicio educatoris Faustuli comperto, qui sibi avus, quae  
 mater fuisset quidve de ea factum esset, cum armatis  
 pastoribus Albam protinus perrexisset interfectoque  
 Amulio Numitorem avum in regnum restitutum. Ro-  
 10 mulum autem a virium magnitudine appellatum;  
 nam Graeca lingua *ῥώμην* *virtutem* dici certum est.  
 Alterum vero Remum dictum videlicet a tarditate,  
 quippe talis naturae homines ab antiquis *remores* dici.  
 Igitur actis, quae supra diximus, et re divina facta 22  
 15 eo in loco, qui nunc Lupercal dicitur, ludibundi dis-  
 currerunt pellibus hostiarum occursantes quosque sibi-  
 met verberantes; utque sollemne sacrificium sibi poste-  
 risque id esset, sanxerunt separatimque suos appella-  
 verunt, Remus Fabios, Romulus Quintilios; quorum  
 20 utrumque nomen etiamnunc in sacris manet. At vero 2  
 libro secundo Pontificalium proditur missos ab Amulio,  
 qui Remum pecorum pastorem attraherent, cum non  
 auderent ei vim afferre, opportunum tempus sibi ad  
 insidiandum nactos, quod tum Romulus aberat, genus  
 25 lusus simulasse, quinam eorum manibus post terga  
 ligatis lapidem, quo lana pensitari solebat, mordicus  
 sublatum quam longissime perferret. Tum Remum 3  
 fiducia virium in Aventinum usque se perlaturum  
 spondisse; dein postquam vinciri se passus est,  
 30 Albam abstractum. Quod postquam Romulus com-  
 perisset, coacta pastorum manu eaque in centenos ho-  
 mines distributa perticas manipulis foeni varie forma-  
 tis in summo iunctas dedisse, quo facilius eo signo